

DE NATURA ET SIGNI-  
FICATIONIBVS COMETARVM,  
Liber Secundus.



Xpositis primo libro causis tã uni-  
uersalibus quã proximis impres-  
sionũ ignitarũ omnium. Superest,  
ut hoc secundo libro, de Cometa-  
rũ causis, natura, & significationib.  
in specie agamus. Ordinar autem ab  
eo, à quo reliqua ortus sui causam  
potissimũ sumunt, ab ipsa natu-  
ra: & ostendam, quid natura Philosophis dicatur: quid, &  
quotuplices sint rerum naturalium causæ: quid materia:  
quid locus: deniq; quid motus. Inconueniens quippe fue-  
rit de Cometarum natura, ortu, loco, motu, &c. disputare,  
his ipsis uel non intellectis, uel non explicatis. *ἡ φύσις ἐστὶ  
ἀρχὴ καὶ αἰτία τῶ κινεῖσθαι, καὶ ἡρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως, καὶ ὅ  
αὐτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός.* Id est. Natura est principium *Natura*  
motus et status ei rei, in qua inest primò, & non per acci- *Naturalia*  
dens. Omnia enim teste Aristotele, quæ in sublunari mũ-  
do fiunt, & in conspectũ nostrũ ueniũt: quæ neq; fortuitò,  
neq; necessariò fiunt: neq; diuina sunt, aut diuinitus affe-  
cta, res naturales dicuntur, quod propriã suã naturam ha-  
bent: ut terra, aqua, aer, ignis, stirpes, animalia. Eadẽ ratione  
hec quæ gigni cernimus, se habent, imbres, grandines, ful-  
mina, uenti, ignes, & aliæ impressiones. Habent em̄ hæc  
quoq; principium quoddã sui ortus, cũ nihil eorũ perpetu-  
um, sed unum: quodq; eorum à quodã primordio sit na-  
tum. Et animalia quidem atq; stirpes, initium habent sui  
ortus, primumq; in illis est principium Natura, non mo-  
tus tantũ. Sed & quietis siue status: quando quidem quæ  
principium motus naçta sunt, eadem finiri etiã possunt.  
Quare naturam meritò Aristoteles & motus & status re-  
rum naturalium principium dixit.